62

LUDOVICO XIV.

REGI

PACIFICO

PANEGYRICUS.

VI. KAL. FEBR. AN. M. DC. LXIX.

In Collegio Arch. Rothomagensi Soc. Jesu.

DICTUS

A CAROLO DE LARUE

EJUSDEM SOCIETATIS.

PARISIIS,

Apud Simonem Benard, via Jacobæa

M. DC. LXXIV.

LUDOVICO XIV.

REGI

PANEGYRICO

PANEGYRICUS.

VI. KAL. JANU. AN. M. DC. LXIV
In Collegio Arch. Rothomagi soli Jesu.

DICTUS

A CAROLO DELARUE
ARCHIEP. SOCIETATIS.

PARISIIS,
Apud Simonem Benard, via Jacobea.

M. DC. LXXIV.

PANEGYRICUS LUDOVICO XIV. REGI PACIFICO DICTUS.

QUOD, & Gallia publicis privatisque præconiis, & Europa communi lætitiæ sensu prius fecit: sinite me, PRÆSIDES ILLUSTRISSIMI, SENATORES AMPLISSIMI, CÆTERIQUE AUDITORES ORNATISSIMI, de pacatis feliciter compositisque belli motibus, sero quidem; at pro calamitate temporum, quam fieri potuit maturissime, Regi maximo gratulari. Fuerit enimvero integrum cæteris, quæ pace fruuntur, urbibus; hac sese tam solemnis officii religione antea exolvere: nobis certe nondum fuit; quibus ita usque adhuc licuit pacis nomine gaudere, ut gaudere pace non liceret. Vix eam nempe populis Lu-

dovici clementia paraverat, cum gravior hac in urbe coorta derepente tempestas sensum omnem restitutæ tranquillitatis ademit. Successit peregrinis tumultibus bellum eo pernicioſius, quod in intima patriæ viscera pestifera contage grassatum est; eo formidoloſius, quod mutua sese ope, ut cæteris in bellis usuvenit, adjuvare fas non esset; eo denique desperatius, quod ne ipsa quidem miseris fuga relinqueretur. Intus peste, foris obsidione vexabamur: ac ne quid ad perfectam belli similitudinem nostræ calamitati deficeret, circumjecta militum hinc inde præsidia, præcluſi urbis aditus, abrupta commercii societas, frænati prope fluminum cursus, ut permanare alias in regiones & fluere libere vix possent.

Omnino, ut qui solemnibus olim ludis, ad otioſorum hominum spectaculum, anguſto circi aut amphitheatri spatio cum feris depugnaturi claudebantur, ita fuimus. Fuimus, inquam, isque vestræ diligentiæ fructus est beneficiumque singulare, MAGISTRATUS AMPLISSIMI, quod non sumus. Vos feram illam, jacentem in hujus florentiſſimæ sinu civitatis, cædes & funera miscentem, exitium patriæ minitantem, concidistis. Vos teterrimi belli crudeliſſimum incendium, admotasque civium omnium lateribus faces extinxistis. Vos domesticam pacem industria, fortitudine, constantia mirabili revocastis. Induſtriam voco: sollicitam illam erectamque vigilantiam in solanda aliorum inopia, sananda aliorum ægritudine, omnium securitate procuranda. Fortitudinem appello: quam nec societas ipsa periculi terruit, nec fregit sumptuum laborumque magnitudo. Constan-

ciam dico : quæ sic industriam semper fortitudinemque comitata est, ut ad optatos exitus rem denique provexerit.

Quam fuistis porro diligentes in hac rerum tranquillitate constituenda, tam proclivem ad solvendam obsidionem Regis animum nacti estis. Nunc securi videmur, nunc liberi : nunc illa, jamdudum universæ Galliæ pax impertita, primum ad nos accedit : nunc denique par est omni gestientis animi significatione venientem excipere, omni gratulationum genere venerari ; quam Rex maximus, & excepit ipse tanto studio, & Europæ tam liberali voluntate concessit. Vidimus enimvero nuper & obstupuimus, ut in medio bellorum æstu præcipitem victoriarum impetum audito pacis nomine represserit : ut legem fecerit ipse sibi, cum eam impositurus Europæ videretur : ut metas fixerit imperio, cujus amplitudinem terminare nulla vis alia potuisset : ut bellicis omnibus triumphalibusque laureis parum se putaverit ornatum, nisi cæteris honorum titulis glorioſum Pacifici nomen quasi cumulus accederet.

Quæ res una quantum ipsi gloriæ pepererit, operosum esset per gradus & capita numerare. Exilium est angustarumque rerum simul totas in aspectum incurrere, seque definiendas oculis ac dimetiendas præbere. Non est numerus, ubi nec est finis : nec prius potest aut posterius constitui, ubi quicquid occurrit immensum est. Tamen ut inde aliquid, pro temporis angustiis, delibemus : satis opinor fuerit ad pacis commendationem duo dicere : Pacem dedit Ludovicus, cum domare hostes potuit ; hoc primum : domuit hostes Ludovicus, cum pacem

dedit; hoc alterum. Brevius & illuſtrius: Vincere potuit, & noluit. Vincere noluit, & vicit. Quæ duo non ambitioſe conquiſitis ad aſſentationem rationum argutiis; ſed ex iis quæ palam apud omnes explorata ſunt, ipſaque totius rei ſerie, ſi faverit benevolentia veſtra, conficiam.

Vulgare quiddam eſt, Auditores, & prope quotidianum, fœdus inire cum hoſtibus, & pacem facere: pacem dare, paucorum; &, ſi Ludovicum exceperimus, vix ullius alterius eſt. Optatam ſæpius votis utrimque communibus, coactam interdum, venalem & emptitiam aliquando etiam vidimus: datam quis meminit a quoquam fuiſſe, qui negare impune potuerit: quem tanta geſtarum rerum amplitudo, tam certa gerendarum ſpes excitaret?

Veſtram fidem enimvero gentes omnes! id quantum fuit! totius Belgii fines ultimos noſtris hactenus exercitibus invios penetraſſe, prætervolaſſe quodammodo propugnacula firmiſſimarum urbium, frænaſſe fluviorum oras omnes, extinxiſſe pene reliquias peregrinæ militiæ, domuiſſe ſubitaria ſeptem dierum expeditione munitiſſimam latiſſimamque provinciam: vix ullum hoſtem, vix moram conſiliis ullam videre: nutare circum omnia, trepidare metu, manus dare: fremere undique pugnandi ardore victorem exercitum, ſi nutu annuas, omnia primo ſtatim impetu perrupturum: & impetum illum ſiſtere, fræna ruentibus injicere: quæ quondam tempora tam glorioſam huic ætati præſtabunt fidem, ut gloriæ cupidiſſimo principi tantam ineſſe moderationem aliquando potuiſſe ſibi perſuadeant?

Hoc ipſi videmus ; hoc uſurpamus oculis, necdum oculis credimus : hoc optabant hoſtes, nec ſperare poterant. Timebant Galli pariter & Hiſpani, Regis fortitudinem Hiſpani, Galli moderationem timebant. Ingens undique trepidatio mentes omnium hominum ſuſpenſas tebat, quorum metus exolveret princeps, quorum votis annueret : an ſuorum, an hoſtium ? Et tunc viſa primum eſt inter homines ſubditis ingrata moderatio principis ; mileſque victoriæ, quam dux ipſe, cupidior.

Videbatur Gallia, militares inter plauſus fremituſque populares, regis iracundiam, hortatione, precibus, ardore ſuo laceſſere : audiebamus eam has in voces erumpentem. Quid agis, LUDOVICE, quid moliris ? quid pacis conſilia tecum ipſe meditaris ? quo tantus ille copiarum apparatus, quo ducum ardor incredibilis, quo militum labor, quo virtus erecta, quo ſpes, quo cupido triumphi, quo pertinebit, quid præſtabit ? Utere tam opportunis temporibus ad gloriam, vincendo relege majorum tuorum his dudum in regionibus conſignata Belgarum ſanguine veſtigia : redde tandem aliquando Rheno Francos tuos : tuis auſpiciis poſt tot elapſas ætates incunabula ſua Francus inviſat. Hæc in cœpta tibi deſponſa victoria eſt, depropera tantum quæ tibi ſummum gloriæ faſtigium intercludunt unius anni moras : da fortunæ, da fortitudini tantulum hoc ſpatii ; totum deinde vitæ conſequentis ævum paci conſecraturus.

Quid ad hæc Ludovicus ? Ridet nempe ſenſus popularis amentiam, cui nulla probantur nomina, niſi quæ congeſti cadaverum cumuli,

& exundantia cruore flumina, & excisæ ferro populatæque flammis urbes pariunt: cui nullum aliud ad immortalitatem videtur iter esse, quam per neces & funera populorum: cui magnificum nihil glorioſumque ſolet haberi, niſi formidoloſum idem ſit: cui cœlum fulguribus & fulminum fragore, quam ſerena Solis ac ſiderum luce commendari ſplendidius; mare tempeſtatibus ac procellis mirabilius illuſtrari, quam fuſa quadam & ſtrata molliter fluctuum æquabilitate, cenſetur. Alios Ludovico ſenſus ingeneravit natura, quos vulgarium animorum anguſtiæ non capiunt: alias ad gloriam ſibi vias aperuit, intentatas antiquis heroibus: neque ſe dignam arbitratus eſt laudem, quæ, vel exemplum habuiſſe, vel æmulum habitura quondam eſſe videretur. Propriam voluit: cujus eſſet unus ipſe artifex: quam ducibus non deberet, aut militi: cujus partem ſibi nemo ullam, ac ne fortuna quidem ipſa, vindicaret.

Vindicaſti nempe tibi, LUDOVICE, perfectam illam exquiſitamque laudem, qui teipſum tam inſigni moderationis exemplo ſuperaſti: qui cum poſſes unus omnia quæ velles; noluiſti tamen quæ poſſes omnia, ut & tui potens eſſe videreris: qui vim omnem paratus hoſtium in perniciem exerere; hanc totam in te ipſum, te ut vinceres, adhibuiſti. Prorſus, ut ideo tantum impendentem ſibi calamitatem effugerint adverſarii; quod fortunam tuam vincere, quam eos evertere, difficilius nobiliuſque duxeris.

Id vero quanti operis fuit, AUDITORES, Ludovici fortunam vincere? quanta ſit ipſa cogitate, triumphi magnitudinem intelligetis. Fuc-

rat hactenus illa periculis una major omnibus, emerserat e turbulentissimis fluctibus tempestatum ac discordiarum : itáque vincendo deinceps assueverat, ut in bellorum societatem a plerisque nationibus ad victoriæ certitudinem adhiberetur. Par unus Ludovici fortunæ repertus hostis est, Ludovicus : hæc sibi reliquos, Ludovicus hanc sibi subjecit. Stupendum vero spectaculum, rex cum fortuna compositus : eoque fortuna sua major, quo pertinacius minor esse contendit. Dum scilicet hoc cæteri curant impensius, & ad æternitatem nominis ambitiosius affectant, ut fortuna sua surgant altius : hic fortunam ratus, illustrius moderatione, quam superbia commendari ; quo plura hæc elargitur, hoc sibi minus indulget : negligere videtur munera quæ prodigit, blandientemque fastidire : & quasi male de ipso perinde mereatur si supra vota, quam si *post vota veniat* ; injicit currenti manum, ut parendi legem in posterum accipiat; ferventemque mediis in cœptis, ne concitatiore cursu deficiat, intercipit. *Lucan. lib. 5. de Cæsare.*

Celebrem illum mihi videor Hispaniæ fluvium intueri, qui postquam impetu præcipiti magnis camporum spatiis alte superfusus est : cum in eo jam esse creditur, ut liberum sibi per depressas longe lateque valles iter in mare prorumpat : subito cohibet ipse sese, magnoque colluctantium undarum strepitu demersis terra vorticibus abrumpitur. Hinc nomen amni clarius, & nobilior emanat in populos fama ; quam si communi fluminum sorte, Rheno forte comparandus aut Eridano, fluctus in Oceanum lapsu perpetuo devolveret. Illorum transit in præconia vastitas, & inundatio regionum, & abrup-

ta flexuum laxitate commercia ; hujus in laudibus numeratur ſecura villarum amœnitas, & libera feracitas camporum, & incolarum in uſus atque delicias impenſi tractus illi, qui ſorbendi fluctibus putabantur.

Parem tibi, REX OPTIME, gloriam expetiiſti, quæ non eſſet emenda lacrymis, quæ funeſtum nihil oſtentaret ac ferale, quam non extorqueret dolentibus timor, ſed amor ſponte tribueret : cujuſque ſic eſſet apud omnes æquitas in confeſſo, ut nec ab hoſte negaretur. Quibus enim te laudibus non obruat Hiſpania : quæ debet prope moderationi tuæ, quod etiamnum reſpirat : quæ te patrem experta eſt, cum formidabat ultorem : quæ, quod extorquere conſiliis, aut obtinere viribus, aut opibus efficere nuſquam deinde valuiſſet ; urbes a te ſuas, Belgium ſuum, ſeipſam a te ipſo per te, per te, iuquam, recepit? Quæ munimenta ſcilicet propuliſſent a Belgii reliquiis manus tuas, niſi volens abſtinuiſſes ? quæ clauſtra Pyrenæorum intercluſiſſent aditus, ſi perfringere mens fuiſſet? Quæ vis tanta Sequanos eripuiſſet tibi, niſi ſponte dimiſiſſes ? Hos cum Hiſpania ſervare ſibi non poſſet, tuos feceras : cum neque liberare poſſet, reddidiſti : aſſertor eorum idem, ac domitor : ut per te deleri ſe poſſe, liberari ſine te non poſſe cognoſcerent : unuſque omnium dicereris, tam generoſe potuiſſe dimittere, quos unus omnium tam facile domueras.

Ubi nunc illi vetuſtatis importuni præcones ? ſcrutentur antiqua monumenta, colligant exempla, modum doceant, illuſtrioris alicujus inſignioriſque munificentiæ? Quid, Maſſiniſſæ Numidiam Africanus elargitus eſt? præclare. Tigra-

ni Pompeius Armeniam reliquit? splendide. Indiam Poro reddidit Alexander? magnifice: si laus debetur ulla prædonibus, quod rapta, quæ diu sibi nequeunt habere, restituant. Id ab illis enimvero sola virium infirmitas, & parta tuendi desperatio; non vera virtus expressit: rapinas in beneficia convertere; quam incerte, propter locorum distantiam, ac periculose retinere maluerunt: profuitque Poro, non quod benignum & liberalem; sed quod peregrinum victorem, in Alexandro nactus esset. Aut, si quæ fuit alia famosis illis gentium populatoribus tam effusæ liberalitatis causa: dabant, ut esset impune, rapuisse: redimebant inani fictaque prodigentia latrociniorum infamiam: & iniquis muneribus venturam aliquando posteritatem exorabant.

Non veretur Ludovici beneficentia futurarum ætatum supercilium: non cupiditatis expletæ reliquias; sed justæ victoriæ spolia, largitionibus impendit: non ablata per injuriam, ut Pompeius; non dissita terris ac maribus infinitis, ut Alexander; non socio, non amico Regi remittit, ut Scipio; sed conterminam affinemque provinciam, sed partam legum ante quam armorum jure possessionem, sed hosti prius infensissimo totam erogat. Ite nunc, Hispani, magnitudinem imperii vestri prædicate, regis magnanimitatem prædicabitis: opes extollite, regis liberalitatem extolletis: Belgii munimenta jactate, regis beneficia jactabitis. Ita porro jactabitis, ut vos deposito fastu minores tandem aliquando fateamini: qui beneficiis, liberalitate, magnanimitate Gallorum, ad retinendas opes, tuenda munimenta, sustentandam impe-

rii magnitudinem, indigetis.

Vos vero Pompeii, Cæſares; Alexandri, magna nomina, magna terrarum orbis pene funera! bella veſtra paci noſtræ componite: conferte cum unius Principis gloria, veterem illam triumphorum imaginem, & inania jactantiæ ſimulacra. Laudem iſte ſervandis hoſtibus, vos & civibus trucidandis quærebatis: vos excæcabat ambitio, cujus ille ſtimulos retundit: vos in omne facinus impotentia fortunæ pronos impellebat, quam ille ſuis legibus devinctam famulantemque moderatur: vos immanitas in victos, hunc & beneficentia nobilitat: vos ita mirabantur homines, ut expaveſcerent; ita venerabantur, ut horrerent: regi noſtro, quam effuſe, quam ſincere; tam ſecure gratulamur: exhaurit ille vim omnem animorum, admiratione ſui; nec vacat ipſis hoſtibus hunc timere, cujus prædicandæ benignitati vix toti ſufficiunt.

Non negatam fuiſſe pacem a victore, moderationis inſuetæ; promiſſam, inauditæ bonitatis; regia voce confirmatam, inſperatæ largitatis; regiæ vero vocis hujus fidem non fuiſſe Sequanorum expugnatione labefactatam, non concuſſam; ſed novam inde munificentiæ ſegetem eſſe collectam, incomparabilis cujuſdam virtutis religioniſque prodigium eſt. O fides! o principum fides! vana quondam inaniſque ſpecies, & inſidioſa ludendæ ſimplicitati larva! pluſne debes religioſo principi, qui te vindicavit in priſtinum decus; an debet ipſe reliquis regibus, quorum iniqua levitas facit, ut hanc in ipſo conſtantiam admiremur? Solet enim illis commune ſæpe rerum omnium, & quaſi unicum

ſocietatis eſſe vinculum, utilitas: hanc ſolam operibus ducem, hanc moderatricem conſiliis adhibent: huic paret fama, fides obſequitur, religio ſervit, omnia famulantur. Una ſervandæ fidei gloria metitur cætera Ludovicus: hæc placet una, quod nova, quod pluribus incognita: hujus inconcuſſa firmitate ſolidius imperia ſtabiliri, famam ſecurius niti; quam triumphis & opibus novit: idque ſibi, vel ſi deſint alia, ſummo ducit emolumento; ſi documentum ſuis, exteris exemplum dederit. Ignoraſſet quippe terrarum orbis, cum tantus ſit tamque ſuper omnia Rex evectus; quam fuiſſet religioſus in ſervandis legibus: niſi ſibi, quam facere nullus poterat, legem ipſe feciſſet; & feciſſet ejuſmodi, cujus major eſſet ſervandæ gloria, quam fructus. Nec, ut obſtrictum ſe putaret, expectavit, dum inſtrumenta publica proſtarent: ſancita pax eſt, dum promiſſa: lex Regi ſua vox fuit: tam fidem putavit revocari non poſſe, quam vocem: ſecuroſque juſſit & voluit hoſtes eſſe, dum permiſit.

Ite nunc tabulæ, ſigilla, ceræ, monumenta, fomenta diffidentiæ, inſtrumenta calumniæ. Vobis nationes exteræ pacta ſua, vobis fœdera committant: infigant lapidibus, incidant in marmore, exſculpant in ære: nobis inſtar omnium Ludovici vox erit. Ære perennior, firmior marmore, non ſubjecta fraudi, non interpretamentis obnoxia, nulla temporis injuria delebitur: eadem & ubique vigebit, & ſemper: ubique tranquillitatis, ubique publicæ felicitatis artifex: ad eam votis communibus appellabitur: invocabitur ut violatæ fidei vindex ab univerſis gentibus, & olim ultimæ poſteritatis auribus inſonabit.

SED fruſtra eſt, AUDITORES: fruſtra victoriæ fructus pene omnes Ludovici munificentia, etiam titulos moderatio teſpuit: fruſtra, cum potuit vincere, noluit Ludovicus; quod a nobis hactenus effectum eſt: vicit, quæ pars eſt orationis altera; vicit enimvero, vincere cum noluit, cum Hiſpaniæ pacem dedit. Quid ita? Supplici, ſupplici nempe pacem dedit. Qua voce unica, quam multa veræ laudis argumenta contineantur, ſi recte percipiatis animo: non dubito, quin pacis hujus noſtræ decus triumphis majorum omnibus anteponendum ducatis.

Magnum eſt fateor & ſpecioſum, urbes capere, immenſos exercitus internecione delere, ferro flammaque regna populari, hoſtes attritos cladibus ſuas in leges invitos adigere: ſplendida res & ad perſtringendos hominum oculos potiſſima. Quo tamen inſignes illos, quotquot iſta perficiunt, formidoloſoſque duces nuncupandos nomine arbitramini? populorum, imperiorum victores? Haccine vos tam illuſtri appellatione ornari hos patiamini, quorum tota laus vertendis arcibus, fundendo ſanguine, vinculis, carceribus, vaſtatione continetur? Everſores gentium, belli fulmina, ſi libuerit, appellate: victores nolite dicere: victoris multo clarior gloria, multo infrequentior eſt: victorem non mœnium facit aut corporum ſola, ſed animorum etiam & voluntatum expugnatio. Animis homines, animis liberi, animis hoſtes ſumus: hac parte tentandus hoſtis eſt; hac niſi viceris, non viciſti. Jaceant evulſi ſedibus urbium aggeres, in cineres ipſæ urbes abierint: hoſtium hæc omnia, non hoſtes ipſi ſunt: dum immota ſtabit arx illa pectoris, impetus omnis

inanis est : hic victor, hic sui compos hostis habitat ; hic sua pertinacia ferocior tuo se triumpho subducit.

Id autem Romanis olim æquissimis rerum æstimatoribus ita persuasum fuit ; ut e duobus illis e Scipionum gente præclarissimis ducibus, qui sibi famosissimum Africani cognomen Carthaginensium clade pepererunt ; alterum, qui Pœnos ad pacis conditiones adegerat, victorem Carthaginis ; alterum qui penitus deinde deleverat, non victorem, sed eversorem dixerint. Quanto autem illustrius, (sinite me, AUDITORES, paulo fusius hæc vetera persequi, splendidius inde Ludovici decus inclarescet) Quanto, inquam, illustrius alterum altero nomen fuit, quanto præstitit victor eversori ! Vidit alter aggestas humi Carthaginis excisæ reliquias ; in iisque non tam Romanæ virtuti, quam Punicæ constantiæ trophæum erectum vidit. Alter abjectum in preces advolutumque pedibus Annibalem, in Annibale fractam expugnatamque Carthaginis contumaciam despexit : hac in expugnatione plenam solidamque victoriam, hac in victoria tanto sublimiorem gloriam nactus est ; quanto congestis acervis lapidum & inanibus cinerum cumulis nomen Annibalis fuit virtusque præstantior.

Rem rei, duci ducem, hostem hosti, victoriam victoriæ, componite. Sic vicimus, AUDITORES, sic domuit hostes regia fortitudo, non delevit : prope deleverant alii, nec viceerant. Hispanos majores nostri sæpe, sæpe Belgas armis tentaverant : assiduus jamdiu cum utraque gente Martis usus, assidua nobis ex utraque laborum ac victoriarum seges extiterat. Vix ul-

lus Gallicis trophæis vacuus in Belgio locus, ullum ſpoliis Hiſpanorum in Gallia non inſigne delubrum, ulla prope non alicujus prælii memoria conſignata lux erat. Hos Henrici fregerant, repreſſerant Ludovici, Philippi coercuerant. Hos nobis impares exciſæ toties arces Belgii munitiſſimæ, disjectæ claſſes, expugnata Catalaunia: nuperque Lentiacum, & Regia rupes, & Atrebatum, & Dunkerkana litora reclamabant. Necdum tamen imbecillitatem ſuam gens imperioſa, quamvis agnoſceret ipſa, fatebatur: ſuſtinebat ſimulato vultu dolorem inflictorum vulnerum, paremque ſe Gallicis viribus ſola reſiſtendi pervicacia comprobabat. His populos moribus, hoc faſtu; quis putaſſet, primo regis aſpectu conterritos, exanimatos æſtatis unius clade, daturos fuiſſe manus, & inferiores ultro ſeſe pacis deprecatione confeſſuros? Et hoc tamen vidimus hac æſtate, quod ætas nulla viderat: plus in Ludovicum refudit pax feſtinata ſplendoris, quam longa bellorum ſeries & continuata multorum annorum felicitas ejus majoribus attulerat. Quid enim aliud, quam virium noſtrarum contemptus, ſuperiora bella protraxit? Quid aliud hoc ultimum quam ſubita formidoloſæ potentiæ noſtræ veneratio contraxit? Hoc ſibi felicitati duxit Hiſpanus, quod veluti propudioſum huc uſque reſpuerat: & quam regum multorum obtinere repetitæ victoriæ nequiverant; hanc ab eo, menſium quatuor laboribus, imbecillitatis propriæ confeſſionem Ludovicus expreſſit.

Quo te nunc dicam evectum, LUDOVICE, quam ſublime faſtigium inſiſtere: qui ſic aptos ex nutu ſuſpenſoſque vel hoſtes ipſos ha-

beas, ut nec ita ſubditos ullus regum? Jubes eos hereditatem adeunti tibi loco cedere, & fugiunt: jubes arces tibi pandere, & diruunt; jubes ſperare pacem, & deprecantur: jubes fœderis leges accipere, quid? accipiunt? parum eſt: deoſculantur? leve eſt: feſtis ignibus obſequium ſibi ſuum & ſolemni pompa gratulantur. An umquam aut ſuis illi regibus, aut tibi Galli tui, paratioribus animis & magis flexibili voluntate paruerunt? An potuit tibi quicquam glorioſius eſſe in votis: an uberior ullus ex diuturno quovis bello fructus exiſtere: quam ut hoſtibus imperares?

Hoſtibus autem? an & vicinis gentibus, & Europæ pene toti? Nobis ipſis, AUDITORES, de re noſtra ne credamus: ne, vel honori noſtro velificari ambitioſius; vel regiam offendere moderationem, videamur. Adeamus Anglos: Germanos, Batavos interrogemus: hos quoque vidimus ſupplices; &, ſi non vicimus, certe quod victoriæ proximum eſt, terruimus, & ad preces adegimus. Videbant Ludovici potentiam ſic tanquam inopinatum incendium exarſiſſe, corripuiſſe momento velut afflantibus ventis ampliſſimas regiones, ardere finitimos tractus: eoque per incrementa continua proceſſuram eſſe vim flammarum; ut obvia quælibet impedimenta, quaſi paratam facilemque materiam, in ſe converſuræ mox eſſent. Hi male ſuis paludibus, iſti fluminibus parum, illi nec ſuo ſatis Oceano ſeſe tutos ac defenſos putabant. Metiebantur quippe regis potentia, voluntatem; & ſe jam ſubactos arbitrabantur, quod ſubigi ſe poſſe cognoſcerent: noſtroſque ſuis moribus æſtimantes, vix fieri ducebant poſſe; ut, qui tam

feliciter ſua, tamque ſtudioſe perſequeretur, in hoc vincendi quaſi lubrico ſeſe ab alienis abſtineret. Hunc ergo, quem ferro non poterant, precibus aggreſſi ſunt: ſuccurrere viſi ſunt Hiſpanicæ rei, quo ſuæ conſulerent: impendentem ruinam ab ſociorum capite depulerunt, ut a propriis cervicibus averterent: ſuum in alieno periculum deprecari; & pacem Hiſpanis petere, ſibi facere, decreverunt. Vidit unius anni bellator affuſas in preces gentes Europæ potentiſſimas, hæc prima poſuit vincendi rudimenta: nec reſpuit, ut mos eſſe victorum ſolet, erecto ſupercilio ſupplicum preces: adeoque ſe probavit alieni non cupidum, ut ſponte de ſuo multa remiſerit: ſatiſque ſibi gloriæ ratus eſſe, quod ſe belli paciſque arbitrum videret; Europam ſibi beneficio maluit, quam armis adjungere: ſpem dedit, ſpem promiſſis, promiſſa fide, fidem eventu ſancivit.

Quanta porro rerum, & quam ſubita continuo facta converſio eſt! Videamus ut raptim ad arma populi concurrerent, ut factæ eſſent undique militum conquiſitiones ampliſſimæ, ut coacervatæ bellicos in uſus immanes pecuniæ, ut inita trepide fœdera, munitæ arces, naves inſtructæ, plena ſuſpicionibus omnia, plena metu, furore, tumultu, diſcordia. Videbamus, inquam; & quis inde diuturnam ſibi ſuiſque nepotibus & Europæ toti calamitatem, laborem certe periculumque non timuit? Quis autem ab illo tam turbulento ſtatu cum revocatas momento mentes omnium videat, & ab hac præcipiti furoris amentia ſibi redditas: quis non opus eſſe id credat cœleſtis intelligentiæ cujuſdam, ac providentiæ; quæ certis & arcanis impulſibus ani-

mos hominum ad arbitrium regat? Hæc tamen omnia Ludovici vox una perfecit : pacem voluit, & extincta bella sunt, compressi pertinaces illi violentique motus, expulsa odia, classes exarmatæ, ingens Europam & insperata quies occupavit: &, quasi timendus unus esset in orbe Ludovicus, timorem deposuere cæteri, cum is arma deposuit. O bellum! o pacem! bellum omni pace benignius, cujus pax communis & universa fructus fuit! pacem omni bello potentiorem, quæ gentium omnium studia voluntatesque conciliavit! principem bello felicem, pace victorem, utrimque glorioſum! qui neque voluit vincere cum potuit : neque potuit non vincere, cum noluit.

Nos autem, AUDITORES, ne Ludovici gloria tamdiu suspensos lætitia defixosque teneat. Hos affectus, hos gestientis animi sensus ejusdem incolumitas postulat. Ne quærite Galli quam fuerit nobis pacis festinatio fructuosa, numerabunt emolumenta cæteri; nobis præstitit omnia, dum regem in tuto posuit. Audistis quam sui prodigus, omnibus sese belli periculis objiceret : quam duros labores varioſque susciperet : quam sui faceret copiam, ducibus & militibus ad exemplum, etiam hostibus ad audendum. Adibant frequenter ad ministros regios legati sociarum gentium : profitebantur principum suorum nomine se recessuros ab regis fœdere; ni sibi sociisque suis, quorum salus ejus vita continebatur, mature consuleret. Jam gravis ipsis victoribus tanto conjuncta periculo victoria videbatur : & ex diuturniori clade sua, forte & salutem adversarius expectabat. Hunc nobis pax optima restituit, hunc habemus, hoc fruimur,

huic metuere desinimus ; hunc amare , venerari , prædicare non desinimus. Non, ut anno superiori, jam timemus ; ne regis incendamus laudibus audaciam , ejusque periculum timoremque nostrum augeamus : secura est , plena est hæc nostra gratulatio ; talisque , ut hac diu delectari principem optandum sit ; talis , ut hanc tribuere populi omnes & maxime velint , & soli possint. Bellatorem enimvero te maximum , LUDOVICE , æra marmoraque victoriarum tuarum inscripta monumentis testabuntur : magnificum dicent regiæ substructiones , & æternitati consecrata palatia : religiosum prædicabunt sparsæ tota Gallia profanorum templorum ruinæ : sapientem commendabunt constitutæ temperandis moribus æquissimæ leges : pacificum vero te , pacificum soli digne laudare possunt illi , qui beneficium excipiunt : non est credenda mutis lapidibus aut metallis ista commendatio : vocum esse omnium linguarumque debet : neque aliter ad posteros , quam per ora populorum continua prædicatione transmitti. Quamquam nec lapides ipsi , nec inanima metalla conticescent : loquentur Belgicarum urbium aggeres , arces , mœnia, munimenta ; quæ stare salva deinceps & secura volueris : vocales erunt campi sylvæque remotissimæ , quas vastitate liberaveris : accinent Belgicis plausibus juga ipsa Pyrenæorum & Rheni litora , quæ cladis imminentis metu solveris : totus denique se tuis pedibus noster hic orbis advolvet ; qui tibi , si non armis devictus , at pace devinctus est.

DIXI.